



Amor templorum est legitimus, et cum sacrae Scripturae effatis sanctorumque exemplis plane congruens. Amo, domine, Dauides inquit, quin in summis deliciis habeo locum domus tuae, et sedem, in qua gloria tua habitat — Quam amabilia tabernacula tua, Iehovah exercituum! concupiscit anima mea et flagrat desiderio ad atria tua, o Iehovah — Beati habitatores domus tuae in saecula laudant te — melior est dies in atriis tuis, quam alibi mille: elegi esse in limine domus Dei mei potius, quam habitare in tabernaculis impietatis, Ps. 84. Pari modo rex Salomo in aedificando et inaugurando templo I. Reg. VIII. amorem suum intensum erga templum altissimi Dei testificatus est. Donationes in templa collatae, vasa sacra et ornamenta templorum, bona mente et in Dei honorem, ab amicis verbi diuini, data, sunt, si modo omnis ambitionis, mercedis ex inde exspectandae vel meritorii operis edendi labes abest, non improbanda, potius laudanda et ad posteros commemoranda amoris in domum Dei signa.

Restat, ut de dedicatione, consecratione et inauguratione templorum quaedam subiungamus. Missas iam facimus dedicationes templorum gentilium, quae per augures peragebantur, inde inaugurationum nomen sortitas. Tempa verae religioni addictorum sancta ratione fuere dedicata atque consecrata. Salomo translatione arcae foederis ex Siloh in templum, dein precibus, benedictione et sacrificiis, templum, quod exstruxerat, Deo dedicauit, cuius rei I. Reg. cap. VIII. toto uberius mentio fit. Summarum populus hilaritate perfusus est, de quo v. 66. dicitur: die octauo dimisit (Salomo) populum, et benedixerunt regi, et abierunt in tabernacula sua leti et hilares animo propter omnia bona, quae fecerat Iehouah Dauidi seruo suo, et Israeli, populo suo. Secundum templum, quod quidem primum externo splendore non aequauit, at ideo, quod ipse templi Dominus Iesus Christus illud ingressus est, palmam eidem praecepit, sub Serubabelis et Iosuae administratione, post captiuitatem Babylonicam, ex Cyri et Darii mandatis, restauratum est. Eius consecratio Esr. 6. commemoratur, ubi v. 16. seq. sequentia leguntur: fecerunt filii Israelis sacerdotes et Leuitae, et reliqui filii transmigrationis dedicationem domus Dei huius cum gaudio; et obtulerunt in dedicatione domus Dei huius, vitulos centum, arietes ducentos, agnos quadringentos, et hircos caprarum